

tatem quamdam, quia est Persona cum esse fundante, non esse ab alio. Neque tunc currit consequentia D. Thomæ in solutione illa ad primum, quia ibi probat sanctus doctor notionem ingeni non includere positivum, neque in sua ratione formali, neque in suo connotato directo sub ratione principii, sive paternitatis, sive spirationis, quia cum istæ duæ sint notiones quatenus principia influentia, si ly ingeni diceret positivum per modum principii, recte infert D. Thomas, quod includeretur ingeni formaliter in aliis notionibus, quia includeretur in ipsis quatenus principia. Si vero includatur ingeni in subsistentia positiva Patris, quatenus fundat esse cum incapacitate, et oppositione ad passivam generationem, non includitur formaliter in aliis notionibus, quia aliæ non sunt notiones ut præcise subsistunt, et fundant illam incapacitatem, sed ut principia influentia, et originantia suos terminos. Unde cum infertur quod ingeni erit paternitas ut subsistens, distingo; ut subsistens relationi, et influentiæ in Filium, nego; ut subsistens negationi procedendi ab alio, et fundanti illam, concedo; et hoc modo est distincta notio ab ipsa, ut paternitas est. Unde relinquatur quod ingeni non est relatio transcendentalis per modum principii influentis ad utramque Personam procedentem indivise.

XXI. Ad confirmationem responderetur Patrem esse fontalem plenitudinem, et fontem totius Trinitatis, non per notionem ingeni, sed per notionem ipsam paternitatis secundum adæquatum conceptum sumptæ, scilicet quatenus est Persona habens a se principium generandi Filium, et spirandi Spiritum sanctum. Licet enim Filius habeat etiam principium spirandi Spiritum sanctum, tamen non habet illam a se, sed

communicatam a Patre; et sic non habet illam per modum fontis, quia non a se, sed per modum communicatæ ab alio, quod opponitur rationi fontis. Et sic esse fontem in Patre non addit novam rationem principii influentis, sed solum dicit ipsam rationem paternitatis, et spirationis quæ sunt principia influentia cum illo connotato a se: ly enim a se in utroque principio constituit fontem: fontalitas enim, et auctoritas nihil aliud significant in divinis, quam principium originis, ut dicit S. Thomas illa quæstione xxxiii, art. iv ad i, sed debet esse principium originis a se: si enim est derivatum, amittit rationem fontis, et habet se ut rivus, vel ut splendor, quo nomine significatur Filius, non propter diminutionem, sed propter derivationem, alioquin lux est de luce, et lumen de lumine, scilicet totum lumen Patris ut derivatum dicitur splendor in Verbo. Nec ly esse a se importat diversam rationem principii a paternitate, et spiratione in ratione influendi, sed modum connotationemque ejus, seu conditionem ut principia illa in Patre fons sint, et non splendor.

ARTICULUS II.

Utrum Verbum divinum procedat in quarto modo per se ex cognitione omnium personarum divinarum, et creaturarum?

I. Sensus difficultatis percipietur ex distinctione ejus quod convenit processioni Verbi in primo modo per se, et quæ in quarto modo. Ea dicuntur convenire in primo modo per se, quæ essentialiter, et intrinsece conveniunt quantum ad quidditatem, et essentialem conceptum sive identice conveniant, sive forma-

liter. Ea conveniunt in quarto modo per se, quæ conveniunt sub formali ratione conducente ad aliquam operationem, et non identice tantum, v. g. homo per se discurrit, ignis per se calefacit. Homini discurrenti convenit intrinsece, et essentialiter esse animal et corpus, alias homo quidditative non erit, non tamen in quarto modo per se conveniunt ad discursum, quia non discurrit animalitate vel corporeitate ut forma, et ratione discurrenti. Ignis etiam per se calefacit, et ut calefaciat debet esse substantia et corpus, et tale corpus, scilicet elementum ignitivum, et calefactivum, et hoc totum intrinsece, et essentialiter ei convenit, et in primo modo per se. Non tamen quodlibet prædicatum ex his concurrat in quarto modo per se ad igniendum, vel calefaciendum: nec enim corporeitate calefacit, vel substantialitate, sed calido licet corpus sit quod calefacit. Itaque in perseitate quarti modi per se non prædicatur forma de suo constituto formaliter, et quidditative per ipsam, sed de suo effectu tamquam id quo effectus fit ut ratione formali faciendi, et principio per se conducente ad effectum, non concomitante, aut solum identice se habente.

II. Hinc difficultatis nodus, et punctus elucescit. Processio Verbi divini est processio, et generatio substantialis, et divina per intellectum: constat quod illa cognitio qua procedit, et forma qua fœcundatur intellectus paternus ad exprimendum, et producendum Verbum est infinita, et non solum essentialiter divinæ, et attributorum, et Personarum, sed etiam creaturarum comprehensiva ob suam infinitatem, et hoc essentialiter habet, et intrinsece in primo modo per se: sed inquirimus, an ista forma, seu species, qua fœcundatur intellectus divinus ad gene-

randum, et ista cognitio, qua exprimitur Verbum, concurrat ad illud producendum formaliter formalitate quarti modi per se, secundum omnia illa objecta, etiam secundum quod attingit Personas, et creaturas; an per se formaliter in quarto modo solum concurrat cognitio aliquæ Personæ, et ipsius essentialiter: reliqua vero ibi reperta concomitanter se habeant, non formaliter in perseitate producendi Verbum, sed etiam si per impossibile non cognosceret Deus creaturas, vel talem Personam, adhuc produceretur Verbum: sicut est certum quod modo illa cognitio, qua Verbum procedit, attingit creaturas futuras, et tamen etiamsi creaturæ futuræ non essent (libere enim futuræ sunt) adhuc Verbum procederet; et sic cognitio futurorum per se in quarto modo non requiritur.

III. In hac ergo difficultate Scotus in ii, dist. i, qu. i, §. Quantum ad primum, et quodlib. xiv, §. Hic intelligendum, docet Verbum solum procedere ex vi cognitionis objecti primarii. Nomine autem objecti primarii, intelligit Scotus non solum essentialiter divinam excludendo creaturas, quæ in omnium opinione pertinent ad objectum secundarium, sed etiam excludendo Personas, quia ipse sentit in i, dist. xxvii, q. iii, Personas non esse de conceptu objecti primarii.

Fundamentum hujus sententiæ est duplex.

Primum, quo Scotus directe excludit Filium ab hac cognitione, pro illo signo quo procedit Verbum.

Secundum, ad excludendum cognitionem Patris et Spiritus sancti pro illo signo. Deducitur primum fundamentum ex eo quod ipse putat dictionem seu productionem Verbi esse actionem distinctam a cognitione, seu intellectione. In illo au-

tem priori in quo intelligitur intellectio, et non dictio, nondum intelligitur Verbum, quia nondum intelligitur dictum, et tamen intelligitur cognitio: ergo cum procedat Verbum ex cognitione quæ præintelligitur dictioni, quia dictio secundum ipsum est actio distincta, et præsupponens intellectionem, consequenter non procedit ex cognitione præsupposita Verbi, neque intuitiva, quia pro illo priori non intelligitur dictum; neque abstractiva, quia Verbum non potest intelligi ut possibile, et non ut existens, quia existentiæ de ejus essentia est. Secundum fundamentum est, quia Pater non potest producere Filium ex cognitione ipsius Filii, nec Spiritus sancti: ergo neque ex cognitione Patris: ergo ex nullius Personæ cognitione. Antecedens probatur, quia si Filius procederet ex cognitione sui, haberet se ut objectum cognitionis respectu suæ processio- nis, et similiter Spiritus sanctus ergo ut principium ex quo procedit, quia illud quod est objectum, est principium ex quo formatur cognitio: ergo si procedit ex cognitione sui ut objecti, habet se tale objectum ut principium, ex quo fit talis cognitio. Si autem ipsemet Filius et Spiritus sanctus se habent ut principium suæ processio- nis, et cognitio- nis: ergo est imago sui, et Spiritus sancti; quia Verbum est imago illius a quo procedit ut a principio: Filius autem solum est imago Patris sui: ergo non procedit Filius ex cognitione sui, et Spiritus sancti. Prima vero consequentia probatur, quia Pater non potest cognosci non cognito Filio, cum se habeant correlative, et unum sine alio cognosci non potest: ergo si pro illo priori non cognoscitur Filius, neque Pater cognoscitur ut Pater.

IV. Secunda sententia est p. Vasquez hic disp. cXLII, c. iv, qui tenet Ver-

bum ex sua characteristicâ proprietate ut Verbum est non procedere in quarto modo per se ex cognitione Personæ Spiritus sancti, sed solum ex cognitione essentia divina, attributorum, et Personæ Patris, ac Filii; cognitionem autem Spiritus sancti concomitanter, et identice ibi se habere, non formaliter in quarto modo. Idem sentit de cognitione creaturarum disp. cXLIII, c. III, quod non procedit ex cognitione earum tamquam ex cognitione requisita in quarto modo per se, sed solum concomitanter, et identice. Et in hoc ipsum sequitur Arrubal hic disp. cXXV, cap. v. Et quoad utrumque Alarcon tract. v, disp. VIII, c. VIII et IX.

Fundamentum ejus est, quia id solum per se requiritur ad processionem, et generationem Verbi quod ex parte principii se habet ut ratio, et principium assimilativum, ex parte autem termini ut assimilatum, quia tota formalis ratio actionis assimilativæ inter principium assimilativum, et terminum assimilatum per se, et formaliter discurrit, nec amplius requiritur in formalitate, et perseitate talis actionis. Verbum autem procedens ex notitia Patris solum assimilatur ipsi Patri, ejusque naturæ, non vero assimilatur Spiritui sancto neque creaturis: ergo cognitio creaturarum et Spiritus sancti non concurrunt per se in quarto modo ut principium formale producendi Verbum, quia nec ut principium assimilativum, neque ut terminus assimilatus. Principium enim assimilativum ut quo est essentia, ut quod est Pater; terminus assimilatus ut quod est Verbum, ut quo est natura ut communicata sibi: ergo quidquid aliud ibi intervenit, non in quarto modo per se intervenit, et ut forma ac principium per se, et formaliter conducens, sed solum identice. Alia argu-

menta postea solvendo hoc fundamentum adducemus.

V. Tertia sententia est procedere Verbum divinum per se formaliter ex cognitione divinae essentia omniumque Personarum, etiam Spiritus sancti, imo et omnium creaturarum: ita tenent communiter discipuli D. Thomæ super hanc quæstionem xxxiv, ar. III, ibi; Cajetanus, Bagnez; Zumel; Nazarius; Navarrete contr. xxvii; Carmelitani II tomo, tract. vi de Trinitate, disp. XII, dub. I et II; Suarez lib. IX de Trinitate, c. IV et VI; Valentia I p. disp. II de Trinitate, q. VIII, punct. II; Granados tr. IX, disp. v, sect. v, et alii multi.

RESOLUTIO EX MENTE D. THOMÆ.

VI. Dico primo: Non possumus assignare pro formali processione Verbi solam cognitionem essentia, excludendo ab illo objecto Personas omnes. Sumitur ex D. Thoma in hac quæstione xxxiv, a. I ad III, ubi inquit: « Dici convenit cuilibet Personæ; dicitur enim non solum verbum, sed res quæ verbo intelligitur, vel significatur. Sic ergo uni soli Personæ in divinis convenit dici, eo modo quo dicitur Verbum. Et vero modo quo res dicitur in verbo intellecto, cuilibet Personæ convenit dici: Pater enim intelligendo se, et Filium, et Spiritum sanctum et omnia alia quæ ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, et etiam omnis creatura; sicut intellectus hominis verbo quod concipit lapidem, dicit. » Et articulo tertio docet, quod sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva, et factiva, ita Verbum Dei, ejus quod in Deo Patre est, est expressivum tantum, creaturarum vero est expressivum, et operativum. Quod etiam affirmat q.

IV de veritate, a. IV, et quodlib. IV, art. VI. Ubi pondero excludere sanctum doctorem, tum sententiam Scoti, tum Vasquez; sententiam quidem Scoti dum inquit, quod Pater intelligendo se et Filium et Spiritum sanctum et ea quæ ejus scientia continentur concipit Verbum. Pro illo ergo priori rationis quo intelligit antequam dicat seu concipiat Verbum, omnes Personas, et creaturas cognoscit, alios non conciperet Verbum ex intelligentia omnium, quæ in scientia Dei continentur. Sententiam autem Vasquez excludit, ponendo quod cuilibet Personæ convenit dici et exprimi in Verbo, sicut nos verbo quo concepimus lapidem, dicimus. Si ergo Personis convenit dici in Verbo: ergo per se in quarto modo convenit Verbo procedere ex cognitione talium Personarum, quia quando ea prædicata quæ per se formaliter relucent in aliquo effectu, formaliter correspondent in principio, tale principium secundum talia prædicata per se in quarto modo comparatur ad effectum, sicut si aliquid est per se calor ut effectus, calidum quod est ejus principium, per se producit calorem in quarto modo, et si aliquid est in se medicabile, per se fit a medico. Si ergo Verbum per se est expressivum Patris, et Spiritus sancti, et creaturarum, oportet quod principium generans, et exprimens tale Verbum concurrat in quarto modo perse, non solum ut repræsentativum essentia, et Personæ Patris, sed etiam Filii, et Spiritus sancti et creaturarum. Et non dico procedere per se a creaturis, vel a Spiritu sancto, falsum enim est, sed per se a repræsentativo, et contentivo creaturarum, et omnium Personarum. Et rursus docet D. Thomas Verbum divinum esse ex se expressivum, et factivum creaturarum. Non dixit actu faciens, sed factivum, ut hinc

intelligeremus non pertinere per se ad processionem Verbi cognitionem creaturarum ut factarum vel futurarum de facto: istæ enim prout sic non solum respiciunt principium, ut factivum, sed ut faciens. Verbum ergo procedit ut factivum creaturarum in quantum Verbum intellectuale Dei: ergo secundum D. Thomam debet procedere ex cognitione et principio representante non solum divinam naturam quam accipit et Personas, quæ in ea sunt, sed etiam rationem factivam creaturarum; atque adeo principium exprimens Verbum per se, et formaliter concurrat ut attingens creaturas in ratione ipsa factiva earum, quæ per se communicatur Verbo, ut Verbum est per quod fiunt omnia.

Hinc fundamentum sumitur contra Scotum ex duplici principio.

VII. Primum, quia pro illo signo, et prioritatem qua intelligitur cognitio in Patre ad dicendum, et ante ipsam dictionem, Pater intelligitur ut cognoscens cognitione beata, et comprehensiva Dei, si quidem ex illa fœcundatur ad dicendum Verbum comprehensivum totius divinitatis: quidquid enim intellectu suo Deus comprehendit, totum in Verbo dicit, et exprimit. Requiritur ergo per se ad tale Verbum, quod fœcundetur Pater a comprehensiva cognitione sui; ergo etiam antecedenter ad dicere, oportet quod ipsa Patris cognitio, ex qua procedit dictio, attingat omnia quæ ad comprehensionem requiruntur, et quæ in ipsum Verbum tamquam thesaurum debent inferri: *In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi*: ergo cum comprehensio Dei involvat omnium attributorum, et Personarum, et creaturarum attingentiam, imo et visio beata Dei attingat Deum quidditative, et intuitive ut est trinus et unus, si pro illo signo anteriori ad dictionem debet

præsupponi comprehensiva cognitio Dei, necessario debet præsupponi cognitio Personarum, et creaturarum. Et cum sententia Scoti non neget pro illo signo cognitionem Personarum ex eo quod non requirantur quarto modo per se ad generationem Verbi, sicut sententia Vasquez, sed ex eo quod sentit, non pertinere ad objectum primum divinæ cognitionis, et quia pro illo tunc nondum intelligitur Filius ut generatus in facto esse, currit fortius ista ratio, quamquam et contra Vasquez urgeri potest, quia pro illo signo etiam conducit ad generationem Verbi quod cognitio illa comprehensiva sit, quia comprehensivum Verbum generari debet ex illa, et exprimens in se omnia quæ pro quocumque signo Deus intelligit: Deus autem intelligit Personas, et creaturas, idque requiritur ad comprehensionem cognitionem, et non solum objectum primum: ergo si pro illo signo præcedit comprehensiva cognitio Dei, ut inferat, et genereret comprehensivum Verbum, oportet quod ibi reluceant omnes Personæ, et creaturæ.

VIII. Secundum principium contra Scotum sumitur ex eo quia Filius formalissime procedit ut imago Patris, juxta quod dicitur ad Colossens. 1: *Qui est imago Dei invisibilis*: et ad Hebr. 1: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*, id est, imago Personæ, seu hypostasis: id enim significat ibi ly substantia, id est, prima substantia: nec enim est imago naturæ præcise ut natura est, quia de ratione imaginis est non solum quod sit similis alteri, sed alteri ut principio, seu exemplari suo et consequenter quod ab illo oriatur, et procedat; non procedit autem Filius a natura, seu essentia ut a principio processionis, cujus imago sit: nec enim essentia generat, alias Filius genitus distingueretur ab es-

sentia. Est ergo imago Filius Personæ Patris: ergo procedit per se, et formaliter ex cognitione Patris. Patet consequentia, quia ista imago est intellectualis, et procedit ut similis intelligibiliter, sed non procedit aliquid per intellectum ut simile, nisi objecto cognito, procedit enim ex cognitione ejus cujus est imago, quia per cognitionem exprimitur similitudo ejus quod impressum est in intellectu ad cognoscendum, quod autem impressum est, est objectum quod cognoscitur: ergo imago procedit ex cognitione ejus cujus est imago. Si ergo est imago Patris, quia Pater est intelligens, et intellectum seu objectum cognitum, et cognoscens: ergo exprimit Patrem intelligibiliter, et ut cognitum: ergo ex cognitione Patris procedit, quia idem est exprimere illum ut cognitum atque ex cognitione ejus procedere, et exprimi. Rursus non potest Pater cognosci perfecte, et in se, nisi viso et cognito Filio, quia sunt correlativa, quæ sunt simul cognitione: et cum generet ipsum ut imaginem similem sibi, necesse est quod cognoscat Patrem ut principium exprimendum in imagine: ergo et ipsam imaginem sic exprimentem, quia expressio imaginis essentialiter est inter duos terminos, scilicet inter principium exprimens, et terminum expressum: ergo qui intelligibiliter exprimit imaginem cum perfecta comprehensione expressionis, et principium exprimens, et terminum, qui est imago ipsa debet attingere.

IX. Dices: Nos exprimimus conceptum tamquam imaginem, et tamen illam non cognoscimus, nisi per alium conceptum reflexum, non ea cognitione, et operatione qua ipse directus conceptus producit: ergo formaliter, et per se loquendo non exigitur quod imago intelligibilis procedat ex cognitione sui,

etiam ut termini; et sic ratio facta non probat quod per se petat processio Verbi cognitionem sui, etiam ut imago est.

Respondetur quod omnia nunc illa difficultate, an nos cognoscamus verbum, et conceptum quando directe cognoscimus objectum, an solum objectum ipsum in verbo representatum attingatur, et verbum se habeat ut medium in quo, tamen in præsentia non potest esse dubium quod attingatur Verbum ut terminus expressionis, quia quando species expressa est aliquid distinctum ab objecto cognito, et expresso in illo, et solum se habet ut accidentaliter representatio, et vices generens objecti, non mirum quod attingatur objectum non attacta imagine, seu specie representativa, eo quod species non deservit per se ut objectum principale quod cognoscatur, sed ut representatio, et vicarium quid, in quo objectum principale attingatur. Cæterum in illa intelligibilitate in qua non datur species distincta, sed objectum seipso est intelligibile, et intellectum in actu, idem est attingere objectum, atque attingere speciem, seu verbum: licet enim Verbum notionaliter, et relative distinguatur a Patre, qui ejus principium producit, non tamen ab essentia, quæ est objectum seu species, distinctio vero a Patre nihil impedit quod cognoscatur Verbum ut imago, quia correlative se habent Pater et Filius; et sic cognito Patre, cognosci debet Filius, quod totum non currit in expressione nostri verbi. Et præterea cum cognitio qua procedit verbum sit comprehensiva, et cognoscitiva perfecte omnis interioris et immanentis actus, cognoscit perfecte ipsam operationem qua procedit verbum, et expressionem ejus, quod stare non potest nisi cognoscendo verbum quod format. Imo non solum Deus, sed Angelus quan-

do intelligit, quia intuitive, et comprehensiva seipsum videt, et omnes actus suos non producit verbum, et conceptum, nisi simul cognoscendo, et attingendo ipsum, et objectum in ipso. Quod vero nos non attingamus, ex imperfectione nostra est, quia non pure intelligibiliter procedimus, et cognoscendo ac videndo interiores actus, sed dependenter a phantasmatibus, et ad instar eorum formando.

X. Dico secundo: Verbum divinum procedit per se in quarto modo ex cognitione Spiritus sancti, et non solum per se formaliter concurrat ad processionem Verbi cognitio Patris et Filii, Personæ autem Spiritus sancti cognitio, identice: sed ista etiam concurrat formaliter in quarto modo per se, tamquam res cognita, non ut species ipsa, et forma, seu ratio cognoscendi. Hæc est contra sententiam p. Vasquez. Et oportet bene advertere hoc ultimum quod ponimus in conclusione, quod non loquimur de eo quod per se quarto modo requiritur ad exprimendum verbum per modum formæ, seu speciei concurrentis cum intellectu, sed per modum rei cognitæ, seu contentæ in tali specie. Cum enim species sit forma qua intellectus exprimit, seu ad cuius similitudinem exprimit verbum, non est putandum quod ut aliquod objectum dicatur in quarto modo per se requiri ad processionem Verbi, illud se habeat ut species: sic enim cum non omnia attributa Dei habeant munus speciei, sequeretur quod non omnia attributa per se quarto modo concurrerent ad generationem Verbi: et rursus cum relatio Patris et Filii non habeant rationem speciei, quia potius Persona Patris fecundatur essentia tamquam specie, et Filius procedit ab intellectu sic fecundato, non rationem speciei fecundantis dicit, si requireretur ad hoc quod

aliquid per se quarto modo concurreret ad processionem Verbi, quod se haberet ut species, nec procederet ex cognitione Personæ Patris, neque Filii ipsum Verbum in quarto modo per se, quod tamen Vasquez negat. Sensus ergo quæstionis est, disquirere inter ipsa objecta representata in specie, seu ibi contenta, quodnam ex illis prout sic representatum, et cognitum concurrat per se formaliter ad productionem Verbi, et quodnam identice. Et sic dicimus Personam Spiritus sancti tamquam rem, et objectum cognitum, et contentum in specie fecundante intellectum Patris, non identice tantum, sed formaliter per se concurrere ad productionem Verbi.

XI. Hoc supposito, fundamentum nostræ conclusionis reducitur ad unum principium in quo Vasquez convenire nobiscum debet, et ipse admittit nempe ad productionem Verbi per se quarto modo requiri solum cognitionem principii, et termini procedentis nempe Personæ Patris et Filii in eo præcise in quo est terminus, et in eo præcise in quo hoc est principium: hæc enim ratione debet per se quarto modo cognosci essentia, et attributa essentialia, quia essentia per se communicatur Filio: constituitur enim in ratione Filii per naturam, et essentiam sibi communicatam, et in illa similis est Patri formaliter, et substantialiter, ipsumque representat, et exprimit. Debet autem per se, et formaliter ex vi talis processionis cognosci id in quo Filius assimilatur Patri, et in quo est imago ejus, alias non produceretur, et exprimeretur per cognitionem imago illa perfecte similis suo principio, si id in quo assimilatur suo principio non attingeretur per cognitionem: id enim exprimitur quod attingitur ut pertinens ad assimilationem talis

imaginis, pertinet autem ad assimilationem talis imaginis omne illud quod est in Patre ut communicabile Filio: ergo per se in quarto modo debet procedere Filius ex cognitione omnis ejus rei, quæ sibi est communicabilis a Patre, et in quo assimilatur Patri tamquam Filius ejus.

XII. Ex quo principio sic formatur discursus contra sententiam Vasquez. Quidquid Pater communicat Filio, et in quo Filius assimilatur Patri debet in quarto modo per se cognosci a Patre ut formaliter generante Filium, sed virtus spirativa, et relatio spiratoris activi communicatur Filio a Patre, et in illa assimilatur Patri: ergo procedit Filius ex cognitione spirativæ virtutis in quarto modo per se: ergo etiam ex cognitione Spiritus sancti. Major manifesta est ex dictis, quia illa imago intellectiva est, et intellectualiter procedens: ergo omne illud per se pertinebit in quarto modo ad talem processionem, quod per se, et formaliter concurrat in constitutione talis imaginis: per se autem constituitur imago in assimilatione ad suum principium: ergo omne illud in quo assimilatur illi principio; per se debet cognosci in formatione et processione talis imaginis, quia per se requiritur ut imago illius sit plene, et perfecte. Minor probatur, quia in omni illo Verbum assimilatur Patri, quod est communicabile sibi a Patre, communicatur autem sibi a Patre omne illud quod sibi non opponitur, et ut dicit Concilium Florentinum in litteris unionis: « Omnia communicavit Pater Filio suo præter paternitatem: » ergo communicat illi spirationem activam, et in hoc quod est habere spirationem activam similis est Patri, sicut in hoc quod est habere essentiam, quæ est in Patre, assimilatur illi: ergo per se in quarto modo cognoscit Pater vim spirativam quam

communicat Filio, non quod Pater in quantum spirator producat Filium, sed quia ut cognoscens spiratorem producit Filium: id enim quod per se exprimit gignendo Filium, per se cognoscit: cognoscendo enim communicat, et exprimit: ergo si per se communicat ei esse spiratorem, per se cognoscit esse spiratorem, et ex cognitione illius tamquam rei cognitæ procedit Verbum. Ultima vero consequentia, scilicet quod procedat per se ex cognitione Personæ Spiritus sancti probatur, quia virtus spirativa, et relatio spiratoris non potest cognosci sine suo termino, qui est spiratio passiva, tum quia relativa sunt simul cognitione, et non potest unum cognosci sine alio: ergo neque relatio spiratoris sine suo correlativo Spiritu sancto; tum quia Pater communicat vim spirativam cognoscendo illam perfectam: ergo ut distinguitur a generativa et creativa. Non distinguuntur autem entitative, et ex parte subjecti, sed ratione diversorum terminorum, quia vis spirativa est solum ad Spiritum sanctum, vis generativa solum ad Filium, vis creativa solum ad creaturas: ergo si cognoscit Pater ad generandum Filium quod ei communicat vim spirativam, quæ non est ad producendum creaturas, sed Personam Spiritus sancti, necessario debet et per se quarto modo cognoscere Personam Spiritus sancti, sicut per se cognoscit vim spirativam, hanc ut rem communicatam Filio, illam ut terminum talis spirationis, sine qua spirativa vis non discernitur, nec cognoscitur esse spirativam. Et urgetur denique hæc consequentia contra Vasquez, quia si ideo concedit, bene sequi quod Pater producit per se Verbum ex cognitione ipsius Verbi, et non solius Patris, quia si cognoscit Patrem, debet eadem formalitate cognoscere Filium, quia